BIPENNIS

in

Alto Sui Honoris

ASCIA,

JLLVSTRISSIMO

DOMINO

D. JOSEPHO

Comiti à Tęnczyn

OSSOLINSKI

CAPITANEO SANDOMIRIENSI

Præfecturam Suam

auſpicanti

in plauſum

EVOLANS,

Dum

Inter ſolennes plauſus & feſtivas acclamationes publicæ lætitiæ uotô

Sandomiriæ exciperetur

A

JOSEPHO WĘGRZYNOWICZ

in Alma Vniverſitate Crac: Philoſophiæ & Eloquentiæ Auditore

Officioſiſſimo Cultu

DELINEATA.

Annô Domini 1730 Die 14. February.

CRACOVIÆ Typis Jacobi Matiaſzkiewicz S. R. M. Typographi.

In
Stemma
ILLVSTRISSIMI
DOMINI.



Vt ſemper Patriæ ſit præſens una Bipennis,
Hæret Sarmatico quàm benè fixa ſolo.
Altera pennato motu circumvolat Orbem,
Et modò ſit ſummum, quodlibet audet opus.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

SVblime Capitanealis Honoris fastigium *Tibi* hodie conscendenti dum alij festivo cum jubilo occurrunt; ego bipennis gratulatorium *Tuum* aduolo in applausum. Dedecet enim humi

ſerpere mentes, quibus pro pennis promptitudo eſt & obligatio clientalis. Noui perbellè, quòd *Aſcia Tua* celeres quosuis ingeniorum motus effugiat: cum ſit *Bipennis in Alto ſui Honoris*: unde in hac opera laudatrice pennato utor obſequio, Eandem in ſublimi culmine officioſo cultu venerando. Decuit quidem animum encomiaſtam plaudenti cothurno eluctari tam altùm, ut merita *Tua* poſcunt & in Penates meos effuſa beneficia prætendunt; Sed parces *Illuſtriſſime Domine* puſioni calamo & pennæ adoleſcenti, meumq; teneritudinis velle, ut in alijs maſculum poſſe & operari grandævum, æſtimabis. Arma *Tua* Gentilitia, *Bipennis in Alto ſui Honoris Aſcia*, non meæ puſillæ ætatis negotium, ſed labor eſt & cogitatio ſæculorum; ab his condignam panegyrim expecta & honorem, quem *Tua* merita in Senatu Polono juſtè ſibi vendicant & ego voveo.

Illuſtriſſimæ
Dominationis
Veſtræ

profundiſsimus Cultor

Author Operis.

BIPENNIS
IN
ALTO SVI HONORIS
A S C I A.

B*onis avibus in Altum Honoris* TVI *emergens, ſelicioribus momentis cum aureo in Orbem Polonum redeuntibus æuo: cum plauſu publico* TE *comitantibus gaudijs viam pandis.* ILLVSTRISSIME DOMINE. *Tranquilla quidem pace fruimur,*

ſed non tam beatâ; inter ſpes & vota, quibus eludimur, non ſine animorum luctâ, imò ſæpius non ſine graviori luctu vitam agentes; nunc jam patentibus in Tuo *ingreſſu triumphalibus portis, toto agmine ruunt feliciora quæq; mentes inſolita lætitia perfundit. Et quidni ad ſonum* Aſciæ Tuæ *magnifica architectantis opera feſtivos prorumpamus in plauſus? quidni lætam explicemus frontem, fulgore eius Illuſtriſſimo ſerenum inducente? Erigit hæc ſenatorias Curules, alta ſubſellia, auguſtas dignitatum ædes, & noſtros erigit animos, ut non ſolicitemus Deum Cyrrhea ſecreta moventem, nec de Tripode oracula ſcrutemur; ſed ex* Te *Ipſo ſublimia Honorum ſcandente faſtigia, omina fauſta ſumamus. Novit pridem Polonus Orbis inſtrumentum ſuæ felicitatis* Aſciam Tuam *eſſe; quoties in altum ſeſe attollentem obſervat, per crebriores ictus, an aſcenſus honorificos Architectam ſæculi melioris adorat. Ex acie noſcitur* Aſcia Tua, *quantorum ſit in Orbe Sarmatico præſaga bonorum. Durioribus Illa hoſtium cervicibus alliſa, flammas elicit triumphales; hinc ſplendor*

Pa-

Patriæ: in Martiali campo ut hostilia capita, sic victrices demetit laurus; hinc amplitudo Regnorum: barbarico innatat cruori; hinc purpuratus venit Poloniæ honor. Pax ipsa securior ab Ascia, *cujùs aciem adversa pertimescunt bella: cujùs ope Regum solia solidiûs firmantur, boni publici moles assurgit feliciûs. Ponderavit sacratior Themis, vel ex* Tuo *Magnorum capaci, quô ad immortales ausus incalescis, animò, quanta omina ferat* Ascia OSSOLINIANA, *hinc Illi, ut in Alto Honoris, pondere meritorum tractam Orbis eminentiûs videat, justitiæ propugnaculum, consiliorum Ædes, Castrum Sandomiriense cedit. Nempe, ut auspicatiùs & securiùs justa arbitria Themidis exerceantur, secures legum Custodes Præfecturam agant, necesse. Intuere jam* ILLVSTRISSIME DOMINE, *quos Comites in* Tuo *ingressu habes, cerne tantæ felicitatis, quæ in Orbem à* Te *redundat Polonum, spectatores uti avidos, sic lætissimos. Omnium oculos ora, vultus, in* Te *conversos vides; intende cordium repagula, quæ in plausus, in festivos motus,* Ascia Tua *reserat. Panduntur Hono-*

nori triumphales portæ, omnes Te ad deſtinatum muneri Tuo locum geſtientibus comitantur animis & mille panegyres ferunt; ego nonniſi minimus Palladis Cracianæ cultor audaciæ meæ arguor. Magna molimina tento, Icario more, tenuitatis conſcius; illuc leviori pennâ ferri contendo; mox pænas daturus, quò Tuus Bipennis evolat Honor. Exiguis paginarum columnis, ultra Herculeas metas: ultra Gadios diffuſam receſſus Domus Tuæ ILLVSTRISSIMÆ famam tenere exambio; quis auſus? Oratorijs Gradationibus Magnitudinem Tuam, quæ in totum Vniverſi excrevit ambitum, metiri cupio; quis conatus? Rumpuntur ſubtili acie ingenij Tui protenſæ Schinotenes, Rhetorum auxeſes & incrementa amplitudine Eiûs decreſcunt. Vile eſt omne verborum pondus Aſciæ pretioſo comparatum metallô: tenebroſa Tulliana lumina illiûs Phæbeo admota ſplendori: cornuta dilemmata in ſolido acumine obtuſa. Palleſcunt in hoc rubeo Campo Hortenſiorum roſæ: Regina animorum Eloquentia, immortales locutura laudes, in purpura ſua cogitur erubeſcere.

re. *Non est tam sublime dicendi genus, quod attingat Magni Nominis* Tui *altitudinem: nulla tanta Oratoria superlatio, quæ ingentibus comparata meritis, humilior non sit. Exhauritur Tullianum æquor, antequam ex illo, ad exarandas immensas dotes* Tuas *ampla volumina characteres bibant. Deficiunt celeres eruditorum pennæ, antequam alatam* Tuæ *Virtutis famam assequantur. Quò altiores Honorum conscendis gradus, acriùs ingenia torques, & Oratores magis in stuporem ducis, quam ut de* Te *facundiùs quidquam enarrent. Quidquid sit; esse non poterit, quin dulces Gratiæ Domus* Tuæ Illustrissimæ, *& magni, quibus Maiores mei nutriti, favores audaciorem reddant & alliciant, ut me inseram effusæ applaudentium turbæ, si non ad numerum, saltim ad omnimodam reverentiam laudator* Tuus. *Vrget studiosum conatum* Ascia, *cui non novum est facundissimos efformare Mercurios; si quæ incultô de* Te *exaravero stylô, expoliet. Tinnitus Eius, ære Corynthio suavior Musarum silentia rumpens, dum ad* Cracij *Parnassi rupes repercutitur,*

Pneumata minùs disertæ svadæ vivaciori animabit spiritu. Acies nitens membris periodorum, incisis Oratorijs novam inducet formam & acumina dabit. Amplam dicendi materiem applaudentis Palatinatus Campi, lumen Sidera, argutiores calamos Poloniæ Vrbisq; Aquilæ subministrabunt. Hic ipse Tuus *qui sibi imaginem dante* Ascia *pennas adstruit, ut in altum, applaudens* Tibi, *feratur Honor, me minimam atomum ex arena Palladis excitando, inter sui Phæbei splendoris transparentes radios liberiùs discurrere patietur. Totum id erit de munere* Tuo; *ergo dum publicis omnium votis & utraq; Aquila expansîs alîs ad plausum concitante Capitanealis dignitatis conscendis culmen, ut, lætitiæ interpres, imperfectô quanquam artificiô adumbrem Polonæ felicitatis ideam, in qua* BIPENNIS IN ALTO SVI HONORIS ASCIA *eminebit, permittas.*

Eluctari ad sublimia & in summis eminere fastigijs ut eò securiùs magnanimis Candidatorum ausibus contingat; alteram virtutum pennam: rectefactorum alteram adstruat sibi honor, necesse. Instabile est, quod

quod erigit non ſola virtus: quod non meritorum pondus in lance æquitatis attollit, periculoſum. Audeant conatus temerarij vel inconſtantis Deæ levioribus inſtructi pennis: vel inani ambitionis excitati vento in altum tolli, ut nullô ſuffulti illuſtrium operum adjutoriô, caſu graviore ruant. Stimulet Phäëtontes miſeros præceps & veſanus tumor, non tam flammivomis Piroentibus, quàm innata levitate in ſublime vehi; ut nimia regnandi cupidine accenſi, Orbem incendant, ardoremq́ ſuum in altiſono ingurgitantes Pado, mitigent. Concitet ardens ſtudium inconſultos Icaros contra naturam ad volandum; ut non ſine indicio pænitentis faſtus, cum cereis in lachrymas liqueſcant alis & inter Ponti amaros fluctus temeritatem defleant. Tantum eſt Præneſtini Numinis ingenium: hic tumidæ ambitionis eventus: hoc rerum commune fatum; ut dignitates indigni rapiant, non ſervaturi. Bipennes qvan quam ſint, qui alta petunt; ſed ſi non aquilarum more ut ſolis radios, intuentur virtutem; mox angulos & tenebras, unde evolarunt, ſplendoris impatientes majeſtu-

ſi, repetunt veſpertiliones. Teſtudines licet ad honorem plurimi proprijs emergendi viribus incapaces; ſi avidiùs tamen alienis implicantur pennis, ſæpe in auras ab eludentibus portitoribus dimiſſi, antequam volare diſcant, celeriùs, immemores tarditatis ſuæ, feruntur ad ima, periculorum ſcopulis allidendi. O curas hominum! o quantum eſt in rebus inane! Nunquam in ſolido ſtetit ambitioſus honor, nunquam diu felix; ipſa nefandi ſceleris mole etiam Clavo imperij affixus corruit. Non Tarquinios ſuperbos juvat per damna, per cædes ad Tarpeiam eluctari ſedem, ſi locum temerantes, virtuti debitum, eodem cruore, quem dominandi cupido fundit, cum ambitu Regio proſcribantur. Non Sejanis prodeſt populari ab aura & plavſibili clamore in altum ferri, ſi gloria iniquis parta fraudibus, totaq́ rerum poteſtas ab infami unco pendeat. Evaneſcunt cum fatuis ignibus tumidi faſtu Nerones, quos Vrbis incendia, his tantum operibus illuſtres, ſupra Quirinos colles fumigante fama elevant. Pereunt ut muſcæ hoſtes muſcarum Domitiani, quos ad honores Divinos

hæ

hæ nonniſi nigricantes animæ, hæc agmina volitantia ſtrepentibus alis extollunt. Sola virtus perpetuum ſibi in altis culminibus condit ævum: ſola repulſæ neſcia honoribus fulget intaminatis. Cariſſima hæc Deorum progenies, Heroum comes & ſocia, ut immortalis gloriæ capax; ſic ultima minimè veretur donari ſede. Miniſtra hæc Supremi Iovis coronarum diſpenſatrix eſt; quotquot Inſignia honoribus offert, tot arrabones perennitatis præſentat. Imponit orbes Atlantibus Regnorum coronarios, nunquam deſituræ præbens virtuoſorum in Vniverſo documenta famæ. Aureis manus operatrices laudabilium fatigat ſceptris; diviſum cum Iove imperium Auguſtis Heroibus tribuens. Culmina dignitatum, alta ſubſellia erigit; ſolidam quibus materiam dederunt merita, ipſa formam & majeſtatem induxit; jam honor Princeps eſto. Offert Scipionibus Clavas, Brutis Faſces, Curules Fabijs; ut vel his gradibûs & fulcrîs ſecuriores majora petant. Parum eſt; quotquot volumina revoluunt ſæcula: quotquot liquidũ duratura in æuum velociores calami exarant folia:

quot ora Virorum: quot Oratorum linguas in ſui panegyres virtus & recte facta merentur, tot pennas habent, quibus instructus honor in altum ſemper evolat. BIPENNIS *eſt in Alto Honoris* Tui Aſcia, Illuſtriſſime Domine, *quam in* Tuo *ingreſſu votis Procerum & vocibus jubilantium animas, ut in plauſum* Tibi *aſſumat pennas & volet. Quidni applaudat? quidni in altum feratur? cui magna virtus & ſublimis non elatus animus* Tuus *addit alas. Incrementum habet pennarum* Aſcia *vel ex ipſo Nominis* Tui *ethymo; quod, ubi accreſcentem explicat, jam* Te *maximum monſtrat. Multi ſunt, qui ſola nomina jactant, aut à Saxea Deucalionis gleba derivatum ſanguinem;* Tu *nihil valere nomina ſine geſtis: nullam eſſe noveris magnitudinem ſine virtute, ſed tumorem. Non ab Olympo nomen impoſitum, Dijs æquat; ſed merita ſideribus coronanda. Qui monſtra domat, Hercules eſt; inter aſtra referri dignus: qui nunquam ferro nudus, Achilles non ab Homero tantum laudandus: qui agit Scipioni æquanda, in numerum ſemideorum computari debet. Fumoſa lux,*

quæ

quæ à ſolis Majorum Ceris erumpit: lubricum frigidumq; encomium, quod marmora præſtant; quæ à virtute ſimul: quæ ab egregijs facinoribus veniunt, admiranda ſunt & excelſa. Iungis utrumq; Aboriginibus Illuſtriſſimis ex utroq; Cæſar, virtutum & meritorum pennis ſublimia petens, non ut videaris, ſed ut ſis. Agis, quæ operatur Aſcia Tua; *cuius nativus ſplendor quanquam totum diffundatur in Orbem; fulgoribus tamen virtutum radiare, meritis in Heroibus augeri, grandeſcere in Proceribus, altiùs ut eminere, ſic Patriæ prodeſſe ambit. Ambitus hic Domus* Tuæ *Illuſtriſſimæ, magnanimæ dexteritatis & publici amoris præſefert documenta; ideo caſum non novit. In Alto ſemper majeſtas ejus generoſo ſangvine purpuraſcens, quò vetuſtior, eò venuſtior. Claritudo pluſquam Phœbea indeficiens; cujus originem an meridiem in ortu ſuo venerator dum meditatur calamus, cum Sarmaticis Aquilis ad prima naſcentis Poloniæ ſeſe demittit incunabula. Audet nimium penna, quod Auſoniæ timuerunt gentes, fulgorem* Aſciæ *Faſcibus involutæ*

reverenti oculo adorando. Audet, inquam; sed corã Cano consurgens STARZA, *quàm sit* Ascia *heroicis antiqua gestis, quàm vetusta meritis, in paginarum tabellis veram imaginem hebeti quanquam acumine suo repræsentat. Amat quidem temporum processus mutationis vices, jam hæc, iam alia nomina rebus imponens; auget tamen non minuit gloriam, quam mille titulis dignam orbi commendat. Attollit nunc vox plausibilis Capitolij, Arcem, quæ Tarpeia erat, & Latij non ignobilem locum celsior Romana supplet potestas. Hoc temporum decursu, quos cognomine vocamus* TĘNCZYNIOS, *jam Illos in* OSSOLINIIS *adoramus. Quantorum Illi recte factorum documenta dedêre Viri: quibus fulsêre honoribus, Fascibus floruêre quibus; post tot revoluta sæcula, ut magni Nominis veri heredes* OSSOLINII, *sic dignitatis eundem servant tenorem. Communem rebus Numina crescendi posuêre modum, ut à minuta semente per incognitũ augmentum quævis in altum assurgat moles. Ipsa rerum parens natura ex paruis principijs compositum, ex atomis continuum esse voluit.*

it. Magnum eſt ex magnis naſci, & illam ſui originem habere, quæ parvitatem non novit. Sat nobile generis principium, inde lineam Familiæ ducere, ubi non exigua puncta, ſed grandes Nominum characteres & vaſta heroum ſimulacra ſpectantur. Satis illuſtris ortus, ſi ex Parente ſole, ſoles oriri contingat. Ex vulgo in Equeſtrem Ordinem, inde in Patritium & in Senatorium communis alijs proceſſus datur: OSSOLINII *in Domo Patritia nati congenita ſemper habuerunt laticlavia. Non purpuras unquam alieno quæſiverunt ab Oſtro, quibus illorum rubuit ſangvis: non ſellas curules, quas domeſtica ſtruxerat pridem* Aſcia. *Evolvantur Poloniæ faſti, ut quod longa involuunt ſæcula, Ariſtocraticum duodecim Palatinorum emineat regimen. Non dum Polonus Orbis ſanctas adoraverat leges: non dum ſuis cardinibus immotus ſtetit; dum titubat & ſtudia, libertati favens, in contraria ſcinditur: an ab uno regi? an pluribus ſubeſſe conveniat? poſt fata nunquam deflenda Lechi Parentis, à cujus tantisper arbitrio pendebat, Clavum imperij ſe-*

E *le-*

lectissimis commendat Viris. Eminet hîc inter tot Regni Proceres unus ex TOPOREIS, *Vir tantæ dexteritatis, ut mireris* Bipennem Asciam, *cum in commune malum undiq; conspiratum foret, stabiliendis rebus Poloniæ suffecisse. Radici malorum admovetur* Bipennis, *ut Patriæ bonum floreat: exciduntur obices, ut optata felicitas Regnum subintret. Verte, qua parte velis, geminum Decus; hinc terrore hostis: illinc splendore discors incola percellitur, quiescit à motibus. Ipsa Respublica, sic amputatis periculorum stolonibus in eam succrevit, quam hodie videmus, gentibus in stuporem, Regnis in consortium æmulandi. Securiùs in hac septemtrionis ora gens peregrina cùm sedem fixerit, extendit majestatem: cum sola in siluis viveret, solium Regibus, Curules Patribus, Equitibus gloriæ fabricavit trophæa; quo instrumentô?* Asciâ: *quibus Authoribus? procul dubio* TOPOREIS. *Rebus Patriæ succurrere lapsis aut impendentes ruinas prævidere, negotium sibi planè impositum Domus Amplissima credidit. Ne otiosa rubigine consumeretur* Ascia, *illam non evanido splen-*

do-

dori, ſed commodo publico polivit, exercuit. Hinc erectam cerne Bipennem *jam jam ad opus promptam & ad laborem plusquam Dædaleum paratiſſimam. Gentium Septemtrionalium Auguſtal Polonia, liberæ gentis magnifica ædes, baſilicum ſemideorum, nam Heroum opus, non ſervilis indolis ſed libertatis adamatum triclinium, quidquid ſolidi ad perenne decus, quidquid ſplendoris ad gloriam, induſtrij ad ſtuporem præſentat: id curæ* STARZARVM, *labori* TOPOREORVM *adſcribendum cenſet. Viderunt Principes & Reges Poloniæ Sereniſſimi tantorum Virorum dexteritatem, qui amore Patriæ flagrantes in officina pectorum ſuorum exactiùs quam in Vulcani Lipara fabrefactis telis contra impetus quosuis certabant ſtrenuiſſimè. Potuit* BOLESLAVS CHROBRIVS *in ſignum devictarum gentium, debellatorum hoſtium, victrices erigere columnas: potuit* KRIVOVSTVS *quadraginta & amplius reportare trophæa, quibus* Aſciata *Sethegorum virtus animos viresq; dedit. Patuerunt Victoribus Polonis exterarum Vrbium portæ, iuerunt Provinciæ in ſpolia,*

integræ gentes in triumphum cessére. Graves audaci quoq; Gradivo de hac stirpe Viri; cum in arenam & in Martialem prodirent campum, quot corpora tot exscindebant laurus: mactabant hostes in Patriæ victimam, latiùs cædem, latissimè terrorem sui protendendo. Ad ipsam tantorum Heroum famam ad sparsum imminentis virtutis rumorem vinctas manus dederunt hostes, antequam vincerentur; cedere Victoribus alachriores quàm cædi expectarent. Hæc solùm magnorum injuria Virorum, quòd fastis careant eorum facta adamantinæ memoriæ mandanda: quod aureis, quæ stuporem inducunt, non imprimantur characteribus opera, vel quòd integra non sufficiant volumina notandis. Sufficit NAVOGIVS in PREGINIA COMES, *qui cæterorum involuat Nomina, virtutumq; Eorum magnus sit vindex & index; à quo* ILLVSTRISSIMA OSSOLINIORVM FAMILIA *in decus & solatium Orbis fausto sidere* BIPENNIS *evolavit. Socium cujusvis honoris dixerim, quem Comitem veneror: ad magna natum; magnorum Candidatos honorum*

rum

rum qui progenuit. Semideorum Parentem nominaverim, qua de ſtirpe naſci, nec Ioves ad regimen, nec Mercurij ad eloquium recuſarent. Ars ne vel natura ſua nobiliùs efficiat opera? decidant alij, huic progenuiſse celeberrimos ad gloriam ſufficit, prodeſt ad argumentum perennaturæ laudis. ANDREA *Filio quantum emineat Senatoria Palatini Cracovienſis, quam occupavit, Curulis: quantum in ſublime feratur, gloria major declaret. Non fortunarum ſolùm per bona* TĘNCZYN, *cognominis etiam facultatem nactus. Bipenne Domus Inſigne dum animô luſtrat* ANDREAS, *vetuſto* STARZONVM *Nomini novum addit. Meretur multiplex virtus non una publicari voce & fama ſui, prepetibus quæ volat alis, novis inſtructa pennis, ipſum gloriæ attingat Olympum, neceſſe. Evolaſtis jam Sarmaticæ Aquilæ pulli in lucem publicam, in meridie honorum ſtetiſtis, Majeſtatum ſoles irretortà ſpectantes pupillà, veſtram non in dubium vocaſtis perſpicaciam. Et quis Oriens Veſtros non vidit ſplendores? quis Occidens in fulguranti non occubuit ju-*

bare? qui ſeptemtrio Martialium animorum ardore non incaluit? Regum devincere corda, Cæſarum ad vota ſua inclinare mentes nemo meliùs nouit, quàm Veſtrum in illos merita & officia, quæ fuerant exactiſſima. Res Phæbo evidentior, ubi IOANNES & ANDREAS COMITES à TENCZYN *in ea honorum ſteterunt auge, ut, intimis Regum ſavoribus allecti, ad Auguſta eorum ſolia Senatorias admoverent Curules* CASTELLANI CRACOVIENSES *ambo. Grande decus inter magnos Regni Proceres primas occupare ſedes. Dijs æquale munus, ſalutaribus Reipublicæ prodeſſe votis. Oracula conſiliorum dare, bipenni acumine intricatos rerum reſoluere nodos, primis Poloniæ Senatoribus conceſſum, eò feliciùs quò majori comparatum virtute. Invideant Patriæ exteræ gentes, Orthodoxæ Fidei reverentiam, an æmulentur potius. Alibi ſolùm Aris, hîc & Senatui admoventur Præſules. Animarum nonniſi, quibus credita cura, ſpeculatores alibi; hîc ſunt & populi Conſultores. Venerandi Antiſtites, Regni Primates, Reipublicæ*

mu

muneribus incumbunt, ut Divinæ sic Regiæ Majestati addictissimi. In hoc Primatialis eminentiæ gradu viderunt sua tempora STEPHANVM COMITEM à TĘNCZYN ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM, *cujus Nomini & primæ sacrorum in Regno Potestati coronarius non deerat fulgor.* STEPHANVS *ipse fuerat, alijs imponere potuerat stephanomata. Felicem se & meliori sorte beatam credidit* VLADISLAVIENSIS *Tiara, quæ* MATTHIÆ de TENCZYN *incubuit, sub cujus Episcopali Asciato rigore & dignitate Senatoria multi ad iustitiam: ad conseruandas eruditi leges. Suffecerat pluribus muneribus unica virtus, multiplicatum pondus Vir unà ferebat & distinctorum officiorum ratio uni animo sed magnanimo incumbebat.* BIPENNEM *Domus istius* Asciam *pluribus admotam operibus mirentur illi, quorum vel unicum agendi conamen perdit operam, factaq; sua detrimentum sentiunt. Altiùs hæc, altiùs evolat* BIPENNIS, *tanquam uno consummato opere gestiat, ad alterum se paratam monstret; & si quid offeratur struendum, ictus & qui-*

dem ab alto ferat præsentissimos. Res nobis bellica cum Porta Ottomanica venit; perfringenda fuerat hæc janua periculorum, malorum ostium à Patria evertendum. Non deerant bellicæ Polonis machinæ nec arietes validi; quibus tamen barbara potentia repressalia dedisset, nisi BIPENNEM *timeret. Saguntum fortè dolabris eversum meminerat; parem infortunij aleam ab* Ascia *Nostra noluit expectare. Nempe* STANISLAVS à TĘNCZYN DVX EXERCITVVM, *ut contra Turcicum processit Martem, heroicô gladiô ferijt barbariem, & ne majora auderet, furori timorem* Asciâ *intentavit. Cessit à Regno regnorum strages, à nostro septemtrione Oriens, à nostris Domibus Vrbibusq; Porta, imò à tota Europa robur resilijt Asiaticum. Miretur motrix cruentorum certaminum Bellona, quomodo contra chalybeas vires prævaleat* Ascia? *contra instructas acies acumen gerat* BIPENNIS? *quomodo contra hostilium armorum minantia tela ipsa telum triumphale sit?. Iactet suas industria Gradivi balistas, extollat reboantia tormenta, plumbeas glandes pyrio succensas igne præ-*

sen-

ſentet. Suffragia hæc & ſacilia, victoriæ, modi cædium, ſundendi media ſangvinis, pernities tamen iſtis paratur, fata accelerant, denſantur funera. Solâ Aſciâ *ſalus & integritas viget, firmantur vires & lætioris vitæ organa civibus conſtruuntur.*

Virtus inflammata semel nescit miteſcere, accendit Heroum animos, et quò propagatur magis, ad majores auſus concitat. Transfuſa hæc de Comitibus ſuis in OSSOLINIOS *animavit* NICOLAVM OSSOLINSKI Caſtellanum Viſlicienſem *adeò, ut, & hoſtes, pro Regibus certando, vinceret audaciùs & affectus vinciret Regum. Frenanda erat licentia Ruſſorum, coercendi diſſolutorum mores, gentis ſædifragæ ſedanda rebellio; quid valerent humeri, quid vires* OSSOLINIORVM*? ſeditioſum domando populum, Regi victricem offerendo lauream, Vir dexterrimus docuit. Majora auſus favore Principum & gloria ſibi adijciente calcar; quantum Iagellonico ad* Dąbrovnam *profuerit triumpho, vinctæ Pruſſorum manus, quas victi Regiæ poteſtati ad* Coronoviam *cum coronis dederant, documenta præbent.*

Nec tanto Parente minor virtute Filius; ultra Polonos processit limites, alium sibi gloriæ, quà Sarmaticum jam impleverat, quæsiturus Orbem. Invenit ANDREAS OSSOLINSKI Castellanus Visliciensis *quod optaverat in alieno Orbe: tot panegyres laudum suarum, quot oracula de se* SIGISMVNDI Cæsaris *Vir bellicosus audijt. Laudari meruit Imperatoris ore, qui fortunatam Cæsaris victoriam per innumeras bellorum procellas vexit. Alcidæ comparari debuit, qui Herculeis viribus tot immania superavit monstra. Et verborum & armorum energiam, vim oris & operis, dictorum & factorum virtutem vidit & audijt suô æuô Polonia* NICOLAI OSSOLINII Castellani Woynicensis. *Consus in consilijs, Mars in armis; utroq; stylo mala Patriæ serijt, utroq; Patriam, qua nihil unquam charius habuit, delectavit. Allusit Gentilitiæ* BIPENNI *optimè, dum qualis & quantus requireretur, talem se exhibuit, monstravit, gessit. Formandæ Regiæ Indoli* VLADISLAI III, *non alium de, quàm ex* OSSOLINIA *Domo quæsitus*

situs

ſitus erat & inventus IOANNES OSSOLINSKI Caſtellanus Radomienſis *pro tenero Rege & nondum Sceptrorum capaci Poloniæ totius Gubernator. Supplebat Regis nondum adultos annos maturô conſiliô; utq; res Patriæ unà cum Regnante creviſſent, erudita, quæ ſufficerent, incrementa dabat. Præcurſor erat* IOANNES *Majeſtatis Regiæ, cuius optima educatio ad Polonum & Vngaricum Solium, quanquam in ſpem unius fovebatur, deduxit* VLADISLAVM. *Quidquid non ſiniſtrè* VLADISLAVS *egit, directricis dexteræ opus exiſtima: quidquid benè, in virtute eum geſſiſſe moderatoris optimi, crede. Quantum commodi labentem erigere Patriam, tantum gloriæ alienis ſuccurrere iacturis,* OSSOLINIANA *monſtrauit* BIPENNIS, *quæ in ſubſidium* IOANNI *Medices Hetruriæ Duci ex Polonia in Italiam evolavit. Neſcia intervalli* HIERONIMI OSSOLINSKI *virtus Senenſi bello adſuit, in quo vix ille Martis rudimenta miratus, iam Achillem egit. Miles exteris exercitatus armis in Heroem Polonum evaſit: nunquam*

exuerat Sagum; ter repetitam induit To-
gam. Sandecensis primò, mox Woynicen-
sis tandem Sandomiriensis Castellanus. Ma-
gnus hîc honorum concursus ac ingens
dignitatum in unum conspiratio. Cumulari
tamen tanta decora debebant, quæ evince-
bat agendi dexteritas. Diserta sunt pro
Domo sua merita, tacendo quoq; svadent:
Cynea facundior virtus; ille Vrbes, hæc
attrahit honores & convincit. Successit
in eundem Senatus locum Parenti Fili-
us MARTINVS OSSOLINSKI Castel-
lanus Sandomiriensis. Par Genitori hono-
re nec impar egregijs facinoribus. Re-
belle STEPHANO BATHOREO & Po-
loniæ Dantiscum, ad mare sita Civitas æ-
stuavit bello. Neptuni Tethiosq; socia Mar-
tem provocaverat Nostrum; quam Ce-
res Polona nutrit, ausa est altricem su-
am fluctibus obruere incommodorum. Con
fluxit Polonia vel cum suo Vistula tan-
tos ut extingveret bellorum æstus: turba-
tores pacis unius Emporij Cives ut com-
pesceret. Volavit eò cum Polonis Aqui-
lis Bipennis, temerarios ausus terruit, se-
davit, in obsequium Reipublicæ populum
sedi-

ſeditioſum traxit. Motibus domeſticis nil deterius, nil Civibus periculoſius, quàm ſuis perire armis. Tranquilla fruendo ab extra pace, internis obire bellis, neſanfandum eſt. Illum ego Alexandris Orbis victoribus aut Iulijs in omni acie dexterioribus præpoſuero, qui tantis noverit mederi malis. Aperto Marte hoſtem ferire, tela telis, clypeos clypejs opponere, non tam arduum; ſed animos unire malè concordes, privata inter Cæſarem & Pompeium extingvere odia, cognataſq; diſſipare acies, hic labor: hoc opus eſt. ZBIGNEVS OSSOLINSKI Palatinus Sandomirienſis *fuerat Ille, qui excitatos* REGNANTE SIGISMVNDO *civiles motus, veſanumq; furorem populi rarâ prudentiâ et ſaniori dùm ſedavit conſilio, vicit. Tribus Filijs multoties felix, qvos in ſalutem Patriæ ediderat:* CHRISTOPHORVM ad Palatinam Sandomirienſem Curulem, MAXIMILIANVM ad Curiæ Regni Theſaurum, GEORGIVM *Regni Regumq; annulo deſponsavit. Atlantem Orbis Poloni dixerim* CHRISTOPHORVM OSSOLINSKI Palatinum Sandomirienſem, *qvi*

ſtimulô BIPENNIS Aſciæ *Suæ vel ideò ſe rebatur in altum, ut qvos Iove, aut Apolline natos noverit, Auguſtis præſentaret Majeſtatibus: quos iniqua deprimeret fortuna, Ille erigeret; ſic Nobilium Patronus, afflictorum Parens, Legum Cuſtos, Patriæ optimus Civis dicendus. Iam jam inter moleſtos bellorum ventos tempeſtatesq́; ſonoras Reipublicæ Polonæ fluctuabat Navis: jam ab Oriente* Oſmano *Turcarum Duce in perniciem tendente, expectabatur Occidens, ni dexterrimus Heros ſulgurantibus armis Meridiem Orbi Sarmatico accenderet ſerenum. In ſpes maximas erigebatur Polonia* MAXIMILIANVM OSSOLINSKI Palatinum Sandomirienſem *ſuis intentum curis venerando. Aureas credebat ſibi rediiſſe horas ſub tanto Theſaurario Curiæ; cuius vel cariſſima Pignora pretium adaugebant. In* IOANNE OSSOLINSKI Eqvite Melitenſi *dulces eminebant Gratiæ: in* STANISLAO Abbate Koprzywnicenſi *perennes Orbi Lechico adſtabant laudes. Effundat hîc Rhetoricos Tullius Cracianus fontes, totam Iagellonicam meſſem in calamos conver-*

vertat Oratorios; omnium animetur spiritu: omnium eloquentium Virorum loquatur lingvis, ut præcipuo literarum Fautori, literatorum Cultori, pro Domo Regiæ Palladis Pericli disertissimo, quod pusillus nequit exarare calamus, mille Panegyres ferat. Admirata quondam suos Tullios, Catones Roma; stupuit GEORGIVM: *ad Hortensiorum floruit præsentiam; refloruit ad vernantem facundiam* OSSOLINII. *Mittitur* GEORGIVS, VLADISLAI IV *imago, Romam, urbanissimæ svadæ ad* VRBANVM VIII Legatus: *quantum in sui amorem tam magnifico splendore, quàm eloquiô Vrbium Vrbem flexerit, loquatur Capitolium: loquatur Vaticana Sedes, quæ dum* VLADISLAI *iucundo aspectu satiari non posset, in* OSSOLINIO *vidit* VLADISLAVM Regem, *& purpuram ejus venerata est. Eadem gravitate Venetos adijt: eodem ore magnum Regis affectum ferente,* FERDINANDVM Cæsarem *allocutus; ubiq; plausus: ubiq; memoriam consecutus perennem. Omnis prudentiæ & eloquentiæ absoluta Ilias erat; annulô Regni, qui Mu-*

sæum cum Apolline in se clauderet, signa-ri debuit. Majores sui inter Sacri Romani Imperij Comites, hic inter Principes annumeratus; splendore generis, suavitate oris agendorum dexteritate, consiliorum efficacia semper Princeps OSSOLINIVS.

Fastis inclusi perennibus, quotquot Magni prodiere Viri, Ceræ Tuæ sunt Illustrissime Domine; *quæ in plausum Tuum inflectantur; fumosæ Imagines, quæ vel excusso pulvere addant Tuo ingressui magnificentiam. Ex alijs promicat Heros animus, splendet in alijs authoritas, rosas alij promere videntur, quanquam sileant. Mortui ad vivum Tui: & si frons fronti Tuæ, gestus gestui comparentur, in* Te *spectantur* OSSOLINII. *Redit nobis per* Te *species altioribus digna honoribus* Illustrissimi ZBIGNEI OSSOLINSKI Capitanei Drohicensis Proavi Tui; *cuius perdius & pernox in votis ei circa bonum commune labor: continua solicitudo, quomodo prodesset Patriæ: quomodo vires animumq; moresq; aureos educeret in astra. Tantum Milciadem non unius Themistoclis excitarunt*

tro-

trophæa. Alcidam hunc nullus Antheus ſuperavit: nulla terruit hydra: nulla ſuccubuiſſe fecerunt adverſa. Infractus Viro animus, pectus Heroi ferreum; toties periculis obiectum, quoties amor civium & ingens negotium urgebat. MAXIMILIANVS OSSOLINSKI Venator Podlachiæ Avus Tuus *maxima nomine comprehendit, majora virtute. Quandoq; quod nos magnitudinem dicimus, tumor eſt; hic ſummis aſſueſactus animus, magna etiam, parva iudicat, & quidquid maximo additur, exiguum æſtimat. Qvotqvot conſilijs Fabios, Scipiones fortitudine, felicitate Policrates, vidit* ILLVSTRISSIMA DOMVS, *omnium dotes Vni conſediſſe Viro, res geſtæ docent. Non erat acies: non erat Martialis campus, in qvo non meteret laureas cum triumpho, et copioſam gloriæ non colligeret meſſem. Bona conſilia noverat Reipublicæ animam eſſe; his continuò intentus, tàm in publico qvàm in privato oracula conſiliorum pandens, langventem animavit Patriam & placida populos in pace tenuit. Comitijs Regni quoties aderat, toties aureîs verborum retibus ſenſûs ma-*

turos consulentium in propriam trahendo sententiam, salutaria rebus media venatus est Venator Illustrissimus. *Honores nisi, quos meruit maximos, venari noluit; quanquam fugientem sequentes tanquam in casses ibant. Meritorum pondus iustam quidem appendit lancem, ut Senatùs Patrem in altum tolleret, sed magnorum capax honorum* OSSOLINIVS *esse maluit, quam videri; & Sago & Toga, & pace & bello, & armis & amoribus populi Heros insignis.*

Fortes creantur fortibus, bonis optimi, magnis maximi; Majoribus suis Maximiliani. *Imago vera Progenitoris sui, nec nomine tantum* FRANCISCVS MAXIMILIANVS OSSOLINSKI SVPREMVS REGNI THESAVRARIVS PARENS TVVS; *Cuius quilibet progressus in omnigena virtutis perfectione summus. Musis primam consecravit ætatem, ut se genuinum Aquilæ Pullum ad Phæbi eruditi radios probaret: ad Parnassios colles magnitudinem videret propriam: in Fontibus scientiarum limpidissimis Cerarum suarum spectaret pulchritudinem.*

Stu-

Stupuit olim Celſiſſimus Princeps Illuſtriſſimus Reverendiſſimus GEORGIVS ALBRACHTVS DENHOFF Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ, *in tenera Illius ætate tantam indolis maturitatem; dum oracula panderet, ut Apollo: loqueretur ut Princeps Oratorum Tullius: rerum cauſas diſcuteret ut Ariſtoteles: vaſtitate ingenij Orbis Regionumq́ complecteretur imagines, ut Ptolomæus aut Euclides; totus in literas Iagellonicas quibus navabat operam, ut animô, ſic favoribus effuſus. Soles exteros vidit, non ut inde rediret illuſtrior, ſuis ſplendoribus Illuſtriſſimus; ſed exotica primæ magnitudinis ſidera ut ab hoc Sarmatici Poli Luminari Magno nobilius mutuarentur lumen. Placuit Regia Phœbi Poloni in cubilibus luminum nato, acceſſit; elegantiam, experientiam, gravitatem, nec Romanis parem Catonibus, aut Macedonibus Græcis, Cæſaribuſque, dexteritatem tulit: meritò favorum radijs, jubare benevolentiæ imò affectibus ipſis circumfuſus Sereniſſimis. Quidquid in Auguſta arcanum mente, tanto Ephestioni patet: quidquid vel in toto pretioſum Re-*

gno, Illi concreditur, clavibus Ejus reserandum. Aperuit quoties Polonus Mars præliorum aciem, ſub hoc fideli Terræ Drohicenſis Vexillifero *triumphavit ſemper. Diva Themis* Regni Supremo Regenti *quoties cauſarum pondus Legumq́ʒ pretia trutinanda reliquit; iuſtiſſimum rerum Arbitrum deprehendit, ſtupuit, laudavit. Æternùm ſervant ſub pectore, grataq́ʒ mente revolvunt Comitia Regni Generalia illam prudentiam, illam ſtupendam, quæ nec Arpinatico funderetur ab ore, eloquentiam, ſi quando* Legatum *aut* Mareſchalcum *egit. Nemo meliùs Nobilitatis Conventus fluxibus & refluxibus animorum turbidos eo iudicio, ea ſuavitate oris ſedavit: nemo faciliùs authoritate dictorum & rationum pondere inclinavit: nemo efficatiùs, quàm hic Moderator verbis ut nummis, plusquam aureo Gallicani Herculis torque, in partes meliores traxit. Decuit, ut, qui non tantum circa Regis Curiam ſolicitus; verùm totius Regni curarum tolerare molem haud aliquando recuſat: qui bono communi innumeros dexteritate ſua proventus auget,*

get, Thesauro Regni præficeretur æstimatissimus Thesaurarius. *Reddit Ille, quæ sibi optat Polonia, aurea Saturni sæcula: inducit argenteam ætatem, quam sub tanto* Thesaurario *pretiosam spirat. Quæ olim cum tot gentibus solô nonnisi certavit ferrô, nunc diuitem colligit censum, opes opibus accumulans, etiam illas Thesaurô æmulatura. Aperit hæc Aurea Clavis, animorum Victori commissa, omnis felicitatis ianuam; ipsum augustal fortunæ reserat. Robustiores opponit artus Lechicus Mars, belli solidatus neruô; majorem incutit terrorem hosti & armis & aurô pugnans. Bellatrices Aquilæ in Nido aureo facilè nidificant. Redit prima Polonorum magnanimitas, qui domi suum liberaliorem Traianum, munificentiorem Vespasianum spectantes, ad arma parati aurum auro adijciunt, & vanam opum alienarum iactantiam confundunt.*

Adaugent Regni Thesaurum, multiplicant Patriæ felicitatem, Honori Tuo *splendorem addunt Domûs Cimelia, Magna Virorum Nomina,* Illustrissimi PATRUI Tui. CASIMIRVS OSSOLINSKI

K Ca-

Castellanus Czechoviensis, *ut candorem animô, sic ore gemmas & lilia depromit; candida sedato rerum turbine liberæ Genti inducens tempora.* MICHAEL OSSOLINSKI Subdapifer Drohicensis *altero virtutum, altero meritorum pondere justissimam fatigans lancem*, BIPENNEM *reddit honorem, ut in sublime volet.* IOANNES OSSOLINSKI Capitaneus Drohicensis *eum se Reipublicæ Civem, illum Patriæ Patrem demonstrat, quo rarus assurgit gratiosior. Decessit quidem fatis, cùm* Tu *procedis honoribus*, Illustrissimus GEORGIVS OSSOLINSKI Castellanus Zawichostensis: *obijt* Perillustris & Reverendissimus CASIMIRVS OSSOLINSKI Canonicus Cracoviensis *sui Vavelli Corona, cum* Tu *ortum Honoris feliciter auspicaris; utriusq; tamen Patrui* Tui *in* Te *manens fama superstes, dignitati* Tuæ *militat.* IOSEPHVS OSSOLINSKI Dapifer Sandomiriensis *ubi* Te *succrescentem videt præsenti Honore, gloriæ incrementũ addit pari Nomine & grandi meritorum numero Patriæ pretium, felicitatem Regno,* Tibi *plausus accumulat.*

En-

En quanta Superi Orbi Sarmatico providêre bona, quàm larga Deorum munera è Domo OSSOLINIANA *in Patriam redundant! Non poterat opulentior inveniri thesaurus, majus Clenodium, quàm cæleste donum, quod* THEODORA ex MŁODZIANOVIIS, KRASSOVSCIIS OSSOLINSKA Magni Parentis Tui Genitrix Illustrissima, *in Ærario Regni reponendum edidit. Pignus id, arrabo est felicitatis Polonæ: pretium eò æstimandum magis, quò digniori prodijt de Scrinio; quô bonum publicum abundantiùs quàm Attali opibus ditescit. Imò fortunam plusquam Cæsaris invexit Orbi Polono aurea* Catharinæ *rota, ubi* Te Illustrissime CAPITANEE, *Gemmam ex Erythræo materni emergentem sangvinis, Poloniæ; unde ditissima æstimaretur, in lucem tulit* Illustrissima ex MIACZYNSCIIS CATHARINA OSSOLINSKA Suprema Regni Thesauraria Genitrix Tua; *in quam Dij suas Idalijs negatas Nymphis congessêre dotes. Hæc quantarum sit Mater virtutum, ex Parente Suo* Palatino Volhyniæ, *Hectore Polono; ex* Te Filio *imaginem ejus feren-*

te noſcitur. Addit ſuis pretia muneribus Illuſtriſſima ex OSSOLINIIS EVA GIESZHAFOWA Succameraria Vendenſis, *ſangvine Genitori* Tuo Soror; *quæ, ut vinculô amicitiæ magna nexuit Familiarum decora; ſic prudentiâ, venuſtate, judiciô, virtutumq; fragrantiſſimo odore omnes recreat & in cultum ſui vel invita provocat. Inſtat Poloniæ pretioſior ætas, eò candidior, quò* Gentilitij Iunoſſæ *vellere nitidior: eò felicior* Tibi, *quò* Illuſtriſſima ANNA ex OSSOLINIIS SZANIAWSKA Soror Tua Germana, *magnanimitate Iuno, Pulcheria decore, providа mente Minerva, in Illa Domo præſentior. Extendit aureum vellus ſuum in* Te *quoq;* Celſiſſimus SZANIAVIVS AGNVS, *ut honoribus* TVIS *ex pretioſo ſtamine texantur murices. Proſpicit ex Vavello inter tot curas publicas: ut, qui in Domo Arietis morantur dignitatum Stoles, etiam in* Tua Illuſtriſſima Domo *ſtationem figant.*

Sed quid ampliùs meditatur penna? quid audet? quò eluctari prætendit? Serpebat hactenus circa margines, cùm va-

ſtum

ſtum laudum Oceanum Domus Tuæ Il-
luſtriſſimæ tranare non poſſet. Ibat duƈtri-
cibus lineis, & atrâ ſepiâ reptantes nota-
bat greſſus, ne in ampliſſimo elogiorum ab-
erraret Campo. Erigebatur per pagina-
rum columnas, altitudinem Tuam proſpi-
ciendo. Carpebat ſolia ex Arbore Con-
ſangvinitatis, ut vel his ornata coram Te
in decore ſuo compareret. Bipenni Aſciæ
alligari deſiderabat, cujus acie ſecuriùs im-
menſum gloriæ ſecaret æquor, aut trium-
phales Honori Tuo erigeret coloſſos, vel
acumine ejus inſtruƈta altiùs in laudes Tu-
as volaret. Pinxit, quibus potuit, vm-
bratilis ſvadæ coloribus Imagines Aborigi-
num: incultô quanquam ſtylô Magna e-
xaravit Nomina; jam tandem tot Hero-
um grandi meritorũ pondere depreſſa in Tu-
is Illuſtriſſimis Ceris hæſit. Quidni hæreat
penna? cum tam faciles fleƈti advertat
Ceras, ut omnem in ſe Tui recipiant for-
mam. Dignoſceris ex Avorum, Proavo-
rumque Atavorumque Imaginibus, quis &
quantus ſis; Illi dignoſcuntur ex Te, quo-
rum es vera imago, os humeroſque omnibus
ſimillimus. Non ſunt Majorum Tuorum

 do-

dotes, quarum in Te, *pulcherrima non pingas lineamenta: non est virtus, cujus ideam non geras: non sunt merita, quorum in* Te *non transferas exemplaria. Terrestria Numina dixerim magna Nomina Avitæ* Domus Tuæ; *Pantheon eorum es, utq́ꝫ* Maximilianos *adæques, Nomine & honoribus accrescis. Meruerunt Majores* Tui *Celsissimis insigniri titulis, altis eminere in subsellijs, pulchris muneribus donari;* Tu *similes occupas dignitatum sedes, titulosq́ꝫ plena sorte mereris; in quem cum sangvine Patrum transfusa virtus ultrò suis eminet laudibus, vastum capacemq́ꝫ omnium donorum in* Te *relinquit locum. A primo rubentis auroræ vultu pretiosas diei metimur horas: à sereno evigilantis Phæbi risu, nullis umbrarum asperandarum rugis ominamur meridiem. Fasciata viridi involucro rosa futuram, qua explicetur, præsentat purpuram. Gemma suæ inclusa conchæ regias, quas exornet, spirat coronas. Produnt Herculem infantiles cunæ, & quantus fuerit in Lerna hydræ domitor, iam elisis in fascia præludit serpentibus. Rugat super-*

percilium pusio contra Romam Annibal, jam in molli ætate monstrat, quòd sit Alpes fracturus duras. Prima vitæ Tuæ *aurora alto sangvine rubens festiva dedit omina, qualis esses futurus: quàm lætas* Te *expectantibus laturus vices. Splendores Phæbei de* Tuo *erumpentes vultu futuræ præluxere magnitudini, mox meridiem honorum accensuri. Fascijs involutus, dotes* Tuas, *quas non dum loqui poteras, jam fronte explicuisti: jam purpuram animi & thronum characteres quidam naturæ indicarunt. Spes de* Te *non vanas concipientium coronabas votîs, ubi, antequam ætas pateretur, jam* Te *monstrabas magnum. Crevit Tecum indoles ætate major, quæ* Illustrissimis *semel accensa Ceris, ardebat semper illustrioribus occupari. Sprevit crepundia puerilia, solîs Majorum delectata Imaginibûs; ex grandævo eorum vultu maturitatem, ex gravi supercilio majestatẽ: ex pulcherrima specie formam Priami dignam imperio & omnem elegantiam in* Te *transferendo. Ab Oceano sangvinis, ad fontes properasti Sapientiæ, quem ubi Iagellonicæ salutarunt*

 Mu-

Musæ, ut plausum dedissent, Apollinem ad Citharam, Parnassios colles ad saltus, Hippocrenem, quæ svavi decurreret susurro, concitarunt. Bibisti avidiùs illos scientiarum fontes, quos hauriendo Majores Tui, *dulcibûs gratiarum fluentîs copiosiùs auxerunt. Ad illa Parnassi Academici juga celeriùs movisti gressum, ad quæ* BIPENNIS Ascia *volavit semper, Apollinares in victrices palmas scissura laurus. Regiæ* Tibi, *arbitriô Dulcissimi Progenitoris, placuerunt Musæ; ut posthac ad mentem Regum saperes. O quantum Apollinis Musarumq́ʒ delicium eras! Vix in arenam eruditæ Palladis venisti, jam cordium & animorum triumphasti Victor. Non erat tam difficile quidquam: tam perplexum in scientijs, qvod subtili ingeniô non perceperis, profundô judiciô non penetraveris, omnia svaviter discens ac si congenitas artes haberes. Nullus erat in scholis cultor, qui* Te *imitari non studeret. Trahebas alios ad scholasticam diligentiam ligatô: aliorum animos ad ardua quæque solutô resolvebas eloquiô; omnes ad æmulam concitabas virtutem; cùm tamen omnes*

mnes

mnes generosa indole superaveris. Primum Tibi & *maximum proficiendi auspicium erat in animo: coram Numine imminui, pijsq; affectibus in superos ferri. Hinc quantum profeceris: quantum in flore ætatis fructum attuleris scientiarum, lingva* Te *prodit; ipse* Tuus *calamus par cultissimis, gravis, solidus, eruditus, vel hodie id Orbi defert. Athenas jam vastô complexus animô, ut, quæ legisti, audivisti & alta reposuisti mente, in amplissimo terrarum Vrbiumq; theatro spectaret Orbis; Tuq; ut videres sub alieno sole, quæ mente tenes, ad exteros protraxisti cursum. Delphicum* Te *exoticæ gentes credebant Numen, ad cuius oracula ipsi obmutescebant Tullij: ad graves & maturos verborum sensus, supercilium suspendebant Catones. Iovem adorabant terrestrem, in quo Majestatem virtutum, splendores animi, naturæ Divinas fermè dotes invidebant Principes, admirabantur populi, amabant universi. Didiceras remotos Orbis lustrando fines, quanta sit mgnis à longè reverentia Viris; plurimîs nisi à* Te *exprimenda idiomatibûs. Pretiosa san-*

M *gvi-*

gvinis Corallia, Olympico expolita pulvere in coronas: Illustres Majorum Ceræ ad Aras: insignes honorum tituli in vota nonnisi Iovi Capitolino cedunt. Sed non tantum alieni soles cara judicant, quæ sunt in Orbe rara; etiam natale solum amplectitur ut carissima. Tulisti Tecum, quæ collegisti optima per experientiam; Tibi Gemmæ ingeniorum, Vnioni Illustrium Virorum, extraneis æstimato in oris auxisti pretium & desiderium in Patria. Instar veris vultus ubi Tuus affulsit; gratiores redire dies & soles nitere meliùs Orbi videbantur Polono. Assurgere in amplexus Tui Proceres, aggratulari Tibi Amicos, populos in plausum abire, culmina ipsa honorum ad Te inclinari lætissimo reditu coëgisti. Et quis in Tuum non prorumpat conspectum? ubi occultô quodam illiciô cunctorum animos in Tui amorem trahis. Frons Tua læta & gravis, Te intuentes exhilarat: Te venerari stimulat. Affabilitas oris, illecebra est cordium, efficax persvadendis obsequijs argumentũ. Modestia, quæ se pingit in Tuo vultu, ut Te maturum, sic accessu demonstrat

sa-

facillimum. Ignotum Tibi *nomen tumoris, & quomodo alios extollat fastus, non intelligis; quanquam publica æstimatio, communis plausus, honor eximius Te altiùs efferat. Nempe eminentiorem putas mentem illam, quæ, ubi sublimia calleat, de se modestissimè sentit. Nam sæpe, qui alta petunt, nimis ingeniô demisse reptant: fungus tamen, etsi in Libano protuberat, non est cedrus: ignis in aëre fatuus non est stella: nec musca dicitur Numen, etsi inter delubra videatur. Amore boni publici quantum incalueris; etiam à sole domestico remotus, Te non frigescentem ostendisti, cùm vel* Bipenni Asciâ Tuâ *citiùs ad volare in solatia, in mille subsidia Patriæ desiderares. Animus Tuus, ut communibus totus intentus curis; sic falli nescius: cui pudor & fides justitiæ soror, nudaq; inest veritas. Hinc jure merito leges Patriæ Tuo cupiunt ab arbitrio pendere, Te interprete pandi, Tuo dici ore: Tuô judiciô declarari. Post Patrem Aristidem, quid in Te Filio non æqvum? post integerrimum, quid ad tantum honorem in Te non perfectum? Candidior ætas ipsam spi-*

rat innocentiam: qui non dum provectus annis, meritîs ac virtutibûs ingravescis. Pulchrum est dignumq; OSSOLINIANO Nomine, Te eo tempore prætextâ induere honorum, quo vernans ætate, post plurimam messem, autumnum videbis honorificum. Habent uberem lætitiæ copiam OSSOLINII, *unde gestiant: unde Tuo applaudant Honori. Traxit quidem in suas partes Hierarchia Ecclesiastica* THOMAM OSSOLINSKI Fratrem Germanum Tuum; *accurrit tamen, diviniori, quem imbibit, spiritu, omina fausta ad ingressum Tuum autumans; imminentium sibi dignitatum auspex, & ut Genere, sic Virtute præsagium infallibile. Ducis Tecum in Altum Honoris Tui longas Familiarum lineas; quotquot socias ad perennaturi Generis & Nominis gloriam attraxerunt* OSSOLINII Domos: *quot Hymænei Illustrissimas accenderunt faces, omnes in plausum Tui provocas. Adsunt* Celsissima *longô syllabô recensenda Nomina:* POTOCCII, SZANIAVII, MIACZYNII, LVBOMIRSCII, SZEMBECII, KALINOWSCII, ZALVSCII, TAR-

ŁO-

ŁONES, MNISZKOVII, DENHOFFII, ZAMOYSCII, OPALENSCII, MORSZTINII, CHOMENTOVII, MŁODZIANOVII, ZBOROVII, KRASINSCII, KRASSOVSCII, MICHAŁOVII, DANIŁOWICCII, IWANOVII, ODROWASII, KISZCZANKOVII, FIRLEII, WORONIECCII, MOSZYNSCII, POCIEII, HVMIECCII, SIERAKOWSCII, VSTRZYCCII, GIESZAVII, *cæteriq;* Illuſtriſſimi *Viri, qui Tecum festivis acclamationibus ad deſtinatum Virtuti & Generi Tuo comitantur, Areopagum. Huc & ego* BIPENNEM Aſciam Tuam, *quæ in plauſum Tibi evolat, ſcholaſticîs inſtructus pennîs à longè ſequor: huc advolo, unde in Altum Capitanealis Dignitatis, Procerum applauſibûs, Equitum geſtientibûs animîs, omniumq; ſolennioribûs votîs elevaris. Anguſti ſunt, quanquã in ampliſſimis Palatinatûs Sandomirienſîs Campis, viæ Tuæ, qua progrederis, tramites; numeroſo Tibi applaudentium concurſu, Vrbem plateasq; implente. Procurrunt omnes obviam; jam Te alij, ſuîs ut portent manibûs, iter occupant:*

alij, ut triumphalem adaugeant ingressum, attollunt oculos, vultus & uoces: conscendunt eminentiùs; ut se in colossos, in pyramides erigant: manus elevant; in volatum sese proripere conantur, Te in Alto Honoris Tui spectantes. Vides omnium effusos in Te affectus; vota, quæ ad Superos pro Te funduntur, audis: propensionem æstimas; meam nonnisi pusilli Cracianæ Minervæ cultoris, inter tot examina concurrentium, in exiguis exaratam paginis promptitudinem lege; & Cujus ILLUSTRISSIMA Domus *in Penates meos largas effundit gratias: innumerîs cumulat beneficiîs, Te magnîs cælestium munerum stipatum decoribûs, altiùs*

BIPENNIS

ASCIA TUA

ferat.